



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,  
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In  
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de**

**Romæ, MDCCXVIII**

Casus XIX. Argumentum. Sacerdos gravatus oneribus Missarum non potest recipere nova onera, nisi utrisque intrà modicum tempus possit satisfacere?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72203)



7 rali, Magisterii, aut Licentiatūræ, attendita tenuitate reddituum, & multiplicitate onerum beneficii; Nè hoc remaneret vacans posset ex dispensatione Apostolica conferri personæ dd. gradibus à Fundatore requisitis non insignitæ; juxta resolutionem ejusdem Sac. Congregationis in *Pientina Laura Doctoralis* 16. *Maji* 1716. superius relat. *Part. I. Can. V. Cas. XVI. num. 5.* Sicuti Cappellania actu Sacerdotalis de Jurepatronatus; & habens annexum onus Missarum si non compareat, nec inveniatur ullus Sacerdos, qui velit illam acceptare, potest conferri simplici Clerico de consensu Patroni, qui teneatur Missas celebrari facere, ea ratione, quia quoties qualificatus non comparet, nec petit beneficium sibi debitum, videtur juri suo renunciare, & Summus Pontifex non tenetur illum quærere; juxta resolutionem ejusdem S. Congregationis in *Ariminen. Cappellania* 28. *Junii* 1704. & docent *Corrad. in prax. benef. lib. 2. cap. 12. à num. 59. ad 62. Gonzal. ad regul. 8. gloss. 56. num. 88. & seq. Rot. in Dertusen. Beneficii* 29. *Aprilis* 1701. *S. Licet coram R. P. D. Lancetta, & in Valentina Beneficii* 16. *Januar.* 1704. *S. Quamvis coram eodem, & in Barchinonen. Beneficii* 13. *Januar.* 1710. *S. Replicationi cor. R. P. D. Aldrovando.*

### ARGUMENTUM.

Sacerdos gravatus oneribus Missarum non potest recipere nova onera, nisi utriusque intrâ modicum tempus possit satisfacere.

### SUMMARIUM.

- 1 Cappellani gravati aliis oneribus Missarum non possunt recipere nova onera, & novas eleemosynas pro Missis manualibus, nisi possint utrisque oneribus intrâ modicum tempus satisfacere.

### CASUS XIX.

Cappellani Ecclesiæ A. non obstantibus innumeris oneribus Missarum per ipsos satisfaciendarum, receperunt innumeras eleemosynas Missarum manualium, quas pia devotio Populi obtulit cuidam miraculosæ Imagi ni Beatæ Virginis; Sed

quia his magnis oneribus Missarum per ipsos satisfieri minimè poterat intrâ modicum tempus, proinde supplicarunt in Sac. Congregatione Concilii pro concessione Brevis Apostolici investendi in tot bonis stabilibus dictas eleemosynas, ad effectum celebrandi singulis annis in perpetuum tot Missas, quot capient fructus retrahendi ex investimento dictorum bonorum.

Quæritur. An hujusmodi Privilegium, seu Breve Apostolicum sit eis concedendum?

- 1 Respondendum sentiebam -- *Negative*, quia Cappellani prædicti gravati aliis oneribus Missarum, non poterant recipere nova onera, & novas eleemosynas pro Missis manualibus, nisi poterant utriusque oneribus intrâ modicum tempus, scilicet intrâ mensem, aut 50., aut 60. dies satisfacere, & nisi fecerint protestationem, se non posse satisfacere tot Missis, quæ protestatione non obstante, adhuc offerentes voluerint, quod ipsi Cappellani reciperent dictas eleemosynas, juxta decretum Urbani VIII. de *Miss. celebr.*, quod ita se habet -- *Eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis, ita demùm iidem accipere possint, si oneribus antea impositis, ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis etiam sponte oblati in futurum recipiendis, & capsulas auferant ab Ecclesiis cum inscriptione illa, ELEEMOSYNA PRO MISSIS* -- Et juxta resolutionem Sac. Congregationis Concilii apud *Dian. tract. 1. de celebrat. Missar. resolut. 48. num. 2.*

Unde Episcopus in hoc Casu debet celebrari facere à dictis Cappellanis in Ecclesiâ A. tot Missas, quot celebrari ab eis possunt; Cæteras vero Missas celebrari facere debet in aliis Ecclesiis, usque ad complementum numeri Missarum correspondentis eleemosynis.

Et ita fuit resolutum à Sacra Congregatione Concilii in *una Florentina Missarum* 20. *Februarii* 1712. & 5. *Martii* ejusdem anni.

### ARGUMENTUM.

Imposito onere Missarum à Fundatore in limine foundationis Cappell-